

218. Leo X. ad 1521	226. S. Pius V. ad 1572
219. Hadrian. VI. 1523	227. Gregor. XIII. 1585
220. Clemens VII. 1534	228. Sixtus V. 1590
221. Paulus III. 1549	229. Urbanus VII. 1590
222. Julius III. 1555	230. Greg. XIV. 1591
223. Marcellus II. 1555	231. Innocent. IX. 1591
224. Paulus IV. 1559	232. Clemens VIII. 1605
225. Pius IV. 1565	

2. *Quid de hisce Pontificibus strictim memorandum?*

Pius III. septimo & vicesimo quàm electus est die, publico omnium luctu decessit. Julius II. excelsi animi Pontifex Cæsarem Borgiam ad arces & oppida, quæ Ecclesiæ vi eripuit, reddenda compulit, Gallósque totâ Italiâ exegit. Hic A. 1506. fundamenta jecit magnificentissimæ basilicæ Vaticanæ, inter miracula orbis meritò numerandæ: cùmque Cardinales nonnulli Galliæ Regis instinctu conciliabulum Pisis coëgissent, ad hoc disturbandum Synodum in basilica Lateranensi A. 1512. celebrandum indixit. Leonem X. ipse adeò Lutherus ob insignem morum innocentiam, vitamque inculpam cum agno, cum Daniele Propheta & Ezechiele comparabat. At verò ut primùm hæresiarchæ illius errores edito diplomate condemnavit Leo, subita metamorphosi ex agno in lupum, ex Angelo in Diabolum, è Christi Vicario laudatissimo in Antichristum & Atheum est transmutatus. Atque hæc sola & unica demum causa est, cur cæteros quoque Pontifices, utut magna omnes laude rexerint Ecclesiam, infami Antichristi appellatione notent hæretici, quia nempe Pastores illi vigilantissimi,